✠

FRAGMENTO DE LA SENTENCIA QVE tuuo hecha el Doctor Eusebio Falco, à fauor de D. Francisco de Parra y Zamorano, en el pleyto de la Canongia de Murcia, contra Don Bernardino de Garcia y Campero, Colegial Mayor de Cuenca, sacado del original de mano del dicho Iuez, subdelegado del señor Obispo de Murcia, que saliò en publico el mismo dia que se publicò la contraria, por su descuido.

ET attento quod in Sacro Concilio Tridentino, Amplissimi PP. Cōciliares decrevere, vt Parrochus debeat librum habere, in quo omnia quæ ad curam sibi subditorum spectant fideliter describat, & annotet; ex quo colligitur quod illi quoque sine vlla dubitatione super illis, de quibus in libro fides adhibenda sit; nam frustra onus registrandi Parrocho imponeretur sanctione conciliari, nisi quoque apertissime fidem apud omnes publice faceret, ac plene probaret, quibus communiter obtinuit ætatem, legitime, & concludenter probari per libros Plebanorum, & Curatorum, vbi nomina Baptizatorum describuntur, & hanc viam probandi esse meliorem, & paratiorem, qua possit probari cuiusque ętas, quasi ex professione parentum apud acta publica, extra litem est. Ac ideo ætatem probari concludenter ex partita libri Baptismalis extracta, solemnitatibus, & conditionibus à iure desideratis non deficientibus.

Attento vlterius D. D. Franciscum de Parra & Zamorano, concludenter, & prout de iure desideratur, demonstrasse ætatem suam, maxime (vt constat in processu) cum fides hæc Baptismalis antecedente prævia petitione per procuratorem suum oblata coram Vicario Generali Sanctæ Ecclesiæ Iaensis, quo ad effectum, vt liber Baptismatis Ecclesiæ Pegalajar vbi oriundus, ad dictam Ciuitatem Iaen exportaretur, & in præsentia dicti Officialis, & Vicarij Generalis partita eius Baptismatis extraheretur, quod omne præuia iudicis authoritate, & prouisione, fuit celebratum, & partita recognita, & apud acta posita apparuit dictum D. Franciscum die 6. Nouembris, anni 1638. fuisse natum, quod mandatum, vt moris est, remansit in curia registratum, sicuti cætera decreta iurisdictionis voluntarię; quibus manifeste apparet dictum Don Franciscum; suam probasse ætatem, his solemnitatibus interessentibus, instrumento scilicet, attestatione Notarij, fide testium, & trium Tabellionum legalizatione roborato, ac vallato, & sic coram iudice competente, indubia probationis luce constitisse D. D. D. Franciscum natum fuisse anno 1638. quæ omnia liquide, canonice, & sine vitio aliquo concludunt prędictam natiuitatem, & ætatem consequenter.

Nec obstat quod pro parte D. D. Bernardini Garcia Campero, nervose contenditur scilicet memoratam fidem Baptismalem sine ipsius citatione nec iniunctione ex libro Baptismatis fuisse extractam, & sic defectum prefatum efficere, vt nulla fides illi adhiberi valeat, ea nimirum ratione, quia ad hoc vt fides Baptismalis veram faciat probationem, debeat firmiter, & parte citata, & de mandato iudicis compulsari prout iacet, quod adeo propugnatur à dicto D. Bernardino vt contendat iudicem teneri, simile instrumentum repellere ex officio, vtpote fide, & legalitate carens. Sed hæc non sunt tanti ponderis, vt sufficiant ad adimendam fidem instrumento prædicto, nam quidquid sit an hæc brocardica regula verificetur in hac spetie, certi iuris est hanc pretensam nullitatem non esse ipso iure contingentem, sed solum locum habere quando pars interesse habens non in allegationibus iuris, sed facti, citationis, & iniunctionis defectum opponat, quod procedit adeo vt si talis defectus non opponatur à parte, iudex ex officio non possit illum allegare aut opponere, & sic pro vtilitate eius, & alterius qui produxit instrumẽtum, pars quæ poterat in allegatione facti opponere contra instrumentum, quod ipsi nocere poterat, eius tenori videtur acquiescere, & tacite fateri omnia in eo contenta esse vera; & in hoc non videtur iudicem arbitrium aliquod habere in præiudicium alterius partis, in cuius fauorem censetur inducta tacita recognitio, & approbatio instrumenti; & re bene discussa, ratio que suadet regulam statuentem nullam adhibendam fidem fidei Baptismali, quo ad effectum, vt veram probationem fatiat, consistit in eo, quia communiter filij solent Baptizari paucos post dies ab eorum natiuitate, & propterea vera ætas ex ea fide colligi non potest, vt pluries decissum est: que non militant parte non opponente, contra fidem Baptismalem, quia licet non fuerit recognita, & citata parte extracta, tunc recognitio non est necessaria, cum iuxta meliorem censuram, & praxi receptam, iudex, parte non opponente, potest adhibere fidem scripturis etiã informibus: Et hoc decretoria & canonizata ratione procedit, quia scripturæ informes possunt quandocumque recognosci, nec facit quod allegatur, à dicto D. Bernardino saltem generaliter in allegatione facti oppositum fuisse contra fidem Baptismalem dicti D. Francisci Parra, & Zamorano defectum citationis, & iniunctionis D. Bernardini, quando extracta fuit partita ex libro Baptismatis D. Francisci, quia in processu non constat de simili generali oppositione, prout constare debet; & etiam si constaret nullius entitatis esset similis allegatio generalis, cum non sufficiat generaliter opponere, prefata enim oppositio generaliter concepta solum operatur præservationem iuris deducendi in specie defectum; & si mature expendantur fundamenta in radice, quibus nititur iuris allegatio dicti D. Bernardini, non sunt decisiua propositionis deducte, immo rem dubiam relinquunt, & examinandam, & non contemnenda ex abũ-

danti

danti oritur præsumptio tacitæ approbationis,& adquiescientiæ tenoris instrumenti dicti D.Francisci, nam sicut iste, exhibitis à D. Bernardino instrumentis, statim & sine retardatione, exceptiones contra fidem Baptismalem dicti D. Bernardini proposuit; similiter dictus D. Bernardinus easdem poterat experiri, ex cuius autem omissione, quæ prçuia redargutione contraria, in virum prudentem neutiquam cadere potest, oritur nō leuis prçsumptio adquiescientiæ, & tacitæ approbationis D. Bernardini circa fidem Baptismalem D.Francisci, cum si aliqua contra ipsam haberet, certo certius est ipsa allegasse.

Attento deinde, quod D.D.Bernardinus Campero insignis Collegij Conchensis maioris, collega, & in Vniuersitate Salmaticēsi liberaliū Artium professor, pro demostranda, & verificanda ætate sua pluribus vtitur medijs. Primo fide Baptismali extracta solemnitatibus à iure requisitis interessentibus, citationis scilicet dicti D.Frācisci, decreti cōpulsorij iudicis, & alijs atestatione notarij, iniunctis trium tabellionum legalizationibus, quibus demonstratiue intēdit manere probatam ętatem suam, quo ad effectum, vt potior sit in obtentu Canonicatus Magistralis dictę Sāctę Ecclesiæ Carthaginensis, nam nihil aliud videtur à iure verificandum, vt concludenter remaneat probata ętas, cum ex dicta fide constet natum fuisse D.D. Bernardinum die 22. Februarij, anni 1638. sed teste processu constat eo ipso quo exhibita fuit in iudicio memorata fides, statim D.D. Franciscū Parra & Zamorano, plura ipsam ciuiliter redarguentia opposuisse, probantia aliquas falsitatis suspectiones, ad quas verificandas pluribus præsumptionibus, vsus fuit in lite, contēdendo rem hanc dirimendā, & terminandā posse præsumptionibus, & coniecturis; & plurimis omissis, quas non reprobamus, potiores & peculiares duximus suggerēdas, & considerandas; nam ex oculari libri inspectione constat, in eo plures reperiri quinternos ligatos, quorum vnus continet plures cartas quam alter; & est vnus, vno, alter vero, alio modo ligatus, & consutus: pariterque folium in eo reperitur de per se nō à folliatum, neque compaginatum cum alijs. Constat etiam de folliatione libri recenter facta, & ipsius emēdatione, & de pluribus incompossibilibus cum veritate, tum ipsis oculis patētibus, tum ex peritorū declarationibus resultantibus; ex quibus non contemnendus pro fluit influxus suspitionis falsitatis in partitam qua nititur dictus D. Bernardinus ad probandum se natu maiorem dicto D.Francisco Parra. Et descendendo ad prçfatam partitam dicti libri Baptismatum, apparet esse descriptam in fine paginæ 28. cōtinere rasuram, incisionem etiam, & si parvam, diuersitatem litterarum, & attramenti, quæ per se patent, & foventur etiam peritorum iudicio, & omnia simul iuncta, & in vnum collecta, plures coniecturas, & prçsumptiones falsitatis continentia, sufficiunt ad inducendam falsitatis suspitionem, & ademptionem fidei, ex vulgari regula, quod suspitio falsitatis in ciuilibus pro falsitate habetur,

betur, cuius probatio ex regulis iuris communiter receptis, coniecturis, & præsumptionibus subiacet. Nec hoc iuris principium communiter receptum venit limitandum, scilicet non procedere in causis arduis & grauibus per æquiparationem istarum cum criminalibus in quibus non sufficiunt suspitiones, sed probationes meridiana luce clariores requiruntur, nam exæquatio causæ arduę cum criminali pręcisse versatur in examine testium, non vero in eo vt non suffitiant præsumptiones, & coniecturæ, ad hoc vt habeat locum regula, quod falsitatis suspitio in ciuilibus pro falsitate habeatur; & nulla ratio, est ob quam illę separandę sint, imo durum esset, vt sententia posset ferri pro eo, qui similia instrumenta suspecta produxisset, & certam haberet victoriam, nisi concludenti probatione convinceretur, aut quod idem est, ex instrumentis non autenticis (vt non sint authentica, quæ suspecta sunt) in lite graui & ardua posset obtinere; & quod nulla detur distinctio inter causam arduam, & aliam hac conditione carentem, ita vt etiam in ardua admittantur coniecturæ, & præsumptiones, expressa Pontificia sanctione cavetur dispositum. Et prædicta falsitatis suspitio, quando intenditur ciuiliter, preterquam quod in præsentia apparet de vitio visibili dictæ partitæ, & libri (vt suprafertur) in hac re non est in consideratione distinctio vitij visibilis, & invisibilis instrumenti, quod redarguitur de falso ciuiliter secũdum melius seu receptius iuditium, nam etiam invisibile vitium sufficit ad inducendam instrumenti falsitatis suspitionem, ad cuius probationem, præsumptiones suffitiunt, & respectu vitij visibilis dicuntur pręsumptiones iuris, & non solum suspectum verum & falsum demonstrant instrumentum, & sic non incongrue vitia visibilia instrumenti dicuntur euidentia; quando vero præsumptiones resultant ex vitio non visibili, tunc dicuntur hominis, potentes suspitionem falsitatis inducere, in qua visione, si forte adsit dubium ortum ex concursu præsumptionũ, vnam & aliam partem fouentium, iuxta meliorem iuris censuram non est in arbitrio iudicis adhibere, vel non fidem, sed ipsam tenetur denegare instrumento, contra quod facta est ciuiliter redargutio falsitatis.